





DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
Litterarum Obligatione.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. WOLFERDI SENGUERDII, L. A. M.
Phil. & J. U. Doct illiusque in Illustri Academiâ
Lugd.-Bat. Profess. ordinarii, celeberrimi, &c.

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis Juridicæ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

JOANNES JACOB. van SCHLECHT, Hag. Bat.

Die 20 Martii, horâ ac loco solitis.





LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXV.



VIRIS
SPECTATISSIMIS ET DIGNISSIMIS,
FREDERICO VAN SCHLECHT,
PARENTI SUO
DILECTISSIMO,
FILIALI OBEDIENTIA AC AMORE
IN ÆTERNUM PROSEQUENDO.

GERHARDO VAN DALFZEN,
UTRIUSQUE
CURIÆ HOLLANDIÆ, LITIUM PROCURATORI,
AVUNCULO SUO CHARISSIMO,
AD ULTIMUM VITÆ HALITUM VENERANDO.

NEC NON,
NATALIUM ET VIRTUTUM SPLENDORE
NOBILISSIMO
HONORUM LUCE CONSPICUO ET ILLUSTRI
VIRO
DOMINO,
PHILIPPO ZOETE DE LAEKE à VILLERS,
DOMINO IN VILLERS,
TOPARCHÆ IN ZEVENDER,
CONSESSUS ILLUSTRISSIMORUM DD. ORDINUM
HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ
MEMBRO EX NOBILIBUS
AD CONSILII DD. ORDINUM

HA-

HARUM CIVITATUM CONVENTUM
DELEGATO ORDINARIO
NOBILIS ABBATIÆ RHENOBURGICÆ
PRINCIPI CURATORI,
RHENOLANDIÆ PRIMARIO INDIGENÆ,
SALTUUMQUE HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ
PRÆFECTO.

UT ET
CLARISSIMO ET CELEBERRIMO
VIRO,
PHILIPPO REINHARDO VITRIARIO,
J. U. D.
EJUSDEMQUE FACULTATIS
IN ALMA HAC LUGDUNENSI ACADEMIA
ANTECESSORI
ORDINARIO, CONSUMMATISSIMO,
FACUNDISSIMO,
PRÆCEPTORI MEO DE ME STUDIISQUE
MEIS OPTIMO MERITO
NEC ULLO UNQUAM TEMPORE
POENITENDO.

Hanc disputationem inauguralem ob plurima in se collata beneficia (cum se totum deberet) in animi gratissimi symbolum

offert & inscribit
JOAN. JACOB. van SCHLECHT,
Auctor.



PROOEMIUM.

Licet præsentis materiæ utilitas ac difficultas, sufficiens præfandi argumentum suppeditet, hujus disputationis frontispicium, præloquio quodam exquisitiori (cum neque adsurgat eo facundia mea) ornare seu potius onerare visum haud fuit; sed paucis id quod sine dubio non nullorum repræhensioni obnoxium erit diluendum existimavi: attamen ne illotis (ut ita dicam) manibus rem aggrediar, rationem quæ animum ad scribendum, hancce præ cæteris cur elegerim materiam appulit, unam atque alteram adferre, non incongrum judicavi. Moribus enim circa promotiones receptum est, ut qui lauream doctoralem cum laude sibi comparare studeant, materiam quandam publicæ disquisitioni submittant. Vastissimum igitur illud Iuris Oceanum cum ingressus essem, inter tot ac tantas excellentiores materias, animum hærentem, & quo se verteret nescientem reperi, tandem contractus chirographarii materia de cujus effectu inperegrinationibus proprio experimento edoctus fui, arrisit, hujus enim materiæ utilitas non eget commendatione, quod cum nulli lateat rem ipsam aggredear.

CAPUT I.

Speciem quandam si bene ex colere alicui sit animus, primo ipsius genus ipsum cognoscere, ac indicare debere, indubitati juris est. Ad rem autem ut cum ordine, relictis ambagibus procedamus, generici nominis, *paronomia* excutienda erit. *Conventio* igitur, seu *conventionis nomen*, à verbo *convenire* dictum, *Metaphorice* hoc loco *ab Ulpiano*, cum ait, sicuti convenire dicuntur, qui ex diversis locis in unum colliguntur, & veniunt, ita & qui diversis animi motibus in unum consentiunt, id est, in unam sententiam decurrunt, sumptum, *l. 1. §. 3. ff. de pact.* adeo ab eodem JCto: generale esse dicitur, & ad omnia pertinens de quibus negotii contrahendi, transigendique causa consentiunt, qui inter se agunt, *l. 1. ff. eod.* Quod & Pedius non minus absolute. quam eleganter confirmat, hisce verbis, nullum esse contractum, nullam obligationem, quæ non habet in se conventionem, sive re, sive verbis fiat *d. l. 1. ff. eod.*

Conventio, quod & alias *pactum in generali specificatione* acceptum dicitur, definitur quod sit *duorum pluriumve in idem placitum consensus*, *l. 1. §. 2. ff. de pact. l. 3. ff. de pollicitat.* Verum ut propius ad institutum nostrum accedamus, non est nobis animus, singula hujus definitionis verba explicare, quæ ab aliis (ut opinor) satis exculta erunt, sed solummodo impræsentiarum, hujus definitionis mentem compendiosissime percurrere, animadvertentes *duorum pluriumve* dici, ut hinc removeantur ultimæ voluntates, & itidem vota, ac pollicitationes, in quibus unius tantum, vel testantis voluntas, vel voventis aut offerentis promissum spectatur, *l. 12. in fin. legat. 1. l. 2. l. 3. ff de pollicitat.*

Neque enim solus quippiam, vel sibimet ipsi pacisci potest, cum nemo sibi obligetur, *l. 2. ff. de stipul. serv. & l. pen de recept. arbit.* pergitque Ulpianus, *in idem placitum* consensus, id est, in hoc ut aliquid fiat, negotii contrahendi vel dirimendi causa, cum utriusque aut plurium consensu; quia sine consensu nihil plane efficitur, *l. 1. §. pen. ff. de pact.* licet contractus quidam solo consensu constare dicantur, ideoque non sequitur, in cæteris consensum non requiri: nam ad essentiam genericam omnium contractuum necessario consensus requiritur, sed ad essentiam

ſpecificam, alii requirunt ut accedat vel rei traditio, vel litteræ, vel verba.

CAPUT II.

Conventio, ſive *pactum* jam definitum, in varias dividitur ſpecies, ac primo in *pactum in ſpecie ſic dictum*, & *contractum*, *l.* 1. *§.* 3 4. *l.* 5. 6. 7. *ff. de pact. l.* 15. *ff. de præſcript. verb.*

Pactum in ſpecie ſic dictum, eſt *conventio duorum pluriumve in idem placitum, deſtituta & nomine, & cauſa. l.* 1. *§.* 2. *junct. l.* 7. *pr.* §. 1. *ff. de pact. arg. l.* 27. C. *locat. l.* 15. C. *famil. erciſc.* id eſt, vi intrinſeca civiliter obligandi, neque certum, definitum, ac ſpeciale nomen, neque talem formam, qualem contractus nominati, neque talem cauſam, cur dare aut facere debeas, qualem contractus nec-nominati habet: ſed ſolo nomine pacti contenta. Hoc pactum in ſpecie ſic dictum, à DD. propter varios in jure effectus, iterum in *nudum*, & *non nudum*, quod alias docendi cauſa, *veſtitum*, non tam inepto ſenſu quam nomine, nec nomine prorſus inepto dividitur: cujus diuiſionis fundamentum, *in l. juriſprud. §.* 1. 2. & 4. *ff. de pact. l.* 8. *l.* 15. *ff. de præſc. verb. l. legem* 10. C. *de pact.* reperiri poteſt.

Pactum nudum dicitur, *quod in ſimplicibus conventionis finibus ſubſiſtit*, *l.* 27. C. *locat. l.* 15. C. *fam. erciſc. indeque naturalem ſolum, non civilem obligationem, ſeu actionem, jure civili efficacem parit*, *l.* 7. *pr.* & §. 4. *ff. de pact. l.* 10 *l.* 12. C. *eod. l.* 15. *ff. de præſc. verb. l.* 1. C *de pact. conv. l.* 1. *ff. de rer. permut. l.* 3. C. *eod. l.* 27. C. *locat. l.* 5. §. 2. *ff. de ſolut.* Nudum hic dicitur per tranſlationem, ſolum & ſimplex, quod tantum pactum ſit, ut Imperatores loquuntur *in l.* 27. C. *de locat.* quod nudo fine placiti ſtat, & ſolum pactum dicitur, *l.* 23. C. *de pign.* ſimilis tranſlatio eſt nudus conſenſus, nuda proprietas, &c. Sic nuda veritas, nullis velata coloribus, *φιλοι λογοι, apud Ariſtotelem* 3. *Rhetor.*

Pactum non nudum, ſeu *veſtitum*, eſt *cui ultra ſimplices conventionis fines, vis aliqua civiliter, ac efficaciter obligandi extrinſecus accedit l.* 6. *l.* 7. *ff. de pact.* quæ vis vel eſt ab aſſiſtentia legis & fit pactum legitimum, vel cohærentia contractus, & dicitur pactum adjectum; ex quo luce meridiana clarius apparet, neque hæc pacta legitima, neque

contractibus pacta incontinenti adjecta, contractus esse; sed è contrario cum contractibus non esse confundenda, & esse ac manere in se pacta nuda, licet communem vim obligandi cum contractibus habeant; nam re bene perponderata, asserere cogimur, neutrum horum in proprium conuentionis transire nomen, nec ut superius monuimus, causam cur dare aut facere debeamus, ullam, præter conventionem habere, nam in pactis legitimis consideramus specialem confirmationem, in pactis vero adjectis unionem cum contractibus, in quibus fiunt, & quorum in partes transeunt.

Pactum legitimum est, *quod manente simplici conventionis forma, speciali aliqua lege civili, singularem ob rationem, confirmatur & adjuvatur, indeque vel obligationem civilem & actionem producit, vel obligationem & actionem ipso jure tollit. l. 6. ff. de pact.* Id est in proprium contractum non transiens, nec insecuta causa firmatum, sed recte speciali lege (legis verbo pro jure civili quod & jus prætorium quoque comprehendit sumpto) ut Pactum constituti, *l. 1. & t. t. de const. pecun.* Pactum hypothecæ, *l. 2. pr. de pign. act l. 17. §. 2. ff. de pact.* Pactum donationis *l. 35. §. ult. C. de donat. §. 2. Inst. de donat. N. 162. c. 1. & §. 1. in fin.* &c. Confirmatum.

Pactum adjectum vel *generaliter* vel *specialiter* accipi potest; *Generaliter* acceptum, significat *omne pactum, quod contractui accedit seu additur, sive in continenti, sive ex intervallo. Pactum vero adjectum in specie, est quod simplicis conventionis forma manente, vim civiliter ac efficaciter obligandi, à contractu bonæ fidei, cui incontinenti additum est, habet. l. 7. §. 5. ff. de pact. l. 13. C. eod.* id est in initio contractus, antequam perfectus est, seu nullo alio actu interveniente, ex tempore adjicitur. Prolixiorem explicationem his addere non est animus, sed his principiis breviter explicatis, rem ipsam aggrediemur.

CAPUT III.

Contractuum originem summa cum ratione, Imperator ex Jure Gentium descendere statuit: considerando enim homines in societate civili viventes, reperimus, ratiocinationem circa res usu & necessitate exigente, induxisse quædam jura, ut circa matrimo-

trimo-

trimonia, distinctiones dominiorum, & contractus pene omnes. *§. 2. Inst. de I. N. G. & Civ.* quæ cum ad materiam hanc nostram non pertineant, reliquemus, & ad alia nos conferemus. *Contractus* igitur qui à contrahendo dictus, sumitur vel (1°) *generaliter*, pro quolibet actu ex quo civilis obligatio oritur. *l. 20. ff. de judic.* quo sensu non solum pacta legitima, *l. 17. C. de fid. instrum. N. 119. c. 1.* sed & delicta, *l. 52. de re jud. l. 25. de act. rer. annot.* comprehendit. (2°) *Specialiter pro* modo obligandi, qui ex conventione, quæ vi propria, *sive ob nomen, sive saltem ob causam* ad producendam obligationem civilem & actionem efficax est, descendente; *l. 7. §. 1. & 2. junct. l. 6. ff. de pact.* in qua significatione frequentiori nos accipimus. (3°) *Specialissime* pro contractu, quem συνάλλαγμα appellant, seu ex quo mutua nascitur obligatio. Quo significatu contractum à *Labeone* describi volunt in *l. 19. ff. de V. S.*

Contractus jam in *speciali nostra significatione* definitur, *Conventio, habens proprium nomen, aut eo deficiente causam. l. 7. §. 1. & 2 ff. de pact.* qui vel *verus* id est qui vero consensu initur, vel *quasi contractus*, qui consensu, à lege ob factum aliquod, præsumpto seu inducto, constat. *pr. Inst. de obl. quæ ex quas: contr. Verus* hic *contractus* iterum vel *nominatus* vel *innominatus* dicitur. *Nominatus* vocatur, non quia retinet solum nomen sui generis, conventionis sc. sed quia proprium & specificum objectum habet, & inde proprium & specificum nomen, atque propriam & nominatam producit actionem, nomina enim suis rebus convenientia esse debent. *§. 3. Inst. de donat. Innominatus*, è contra dicitur, cui illud proprium & specificum non est attributum nomen, *l. 3. ff. de præsc. verb.* sed utuntur communi nomine sui generis *l. 7. §. 1. ff. de pact. ex DD ibidem.* Innominatis autem, cum ad propositum nostrum non pertineant relictis ad nominatos nos conferemus.

Contractus nominati vel *re*, vel *verbis*, vel *litteris*, vel *consensu* constare dicuntur. *Re* constant quia in illis præter partium consensum qui omnino adesse debet, necesse est, ut res ipsa quoque interveniat, nec enim sufficit conventio partium nisi res quoque de qua conventum est actualiter tradatur & interveniat *§. un. Inst. de obl quæ ex consens. Verbis* constant quia in illis, præter consensum, ad substantiam, requiruntur verba ore prolata, videlicet ut præcedat interrogatio, congrua responsione subsequente. *Con-*

sensu constant, qui ad essentiam præter consensum nihil requirunt ut in antedictis ubi vel res vel verba summopere necessaria sunt, & consensus in his contractibus solus, sine ullo legis adminiculo, efficacem obligationem & actionem producit.

Litteris quoque constare dicitur contractus, quia ex litteris substantiam capit quod cum à quibusdam in dubium revocetur, disputationisve nostræ principale objectum cum sit, parum anxius inquirere est animus.

CAPUT IV.

Diversis temporibus, diversimode *Litterarum obligatio seu Chirographum* obtinuit, olim nominibus fieri dicebatur, *Inst. h. t.* exinde quia moris erat, ut ille qui pecuniam accipiebat, nomen suum & summam, calendario seu tabulis ejus, à quo pecuniam accipiebat, inscriberet, hinc enim est quod obligationes seu debita, appellentur nomina, quæ mutata Imperii sede, Græcorumque more recepto, in usu esse desiere. Imperator autem noster cum videret indigentes pecunia, omnem lapidem movere, ut alios ad mutuandum facilius inducerent, & anxietate illam consequendi, instrumentum conficerent, quo se certam pecuniæ summam accepisse scribunt, quæ sæpius illis nec nondum numerata est, neque postea numeratur, *Litterarum obligationem* seu *Contractum Chirographarum* surrogavit, qui sic definitur, quod sit, *contractus quo debitor, Scriptura seu chirographo dato, fatetur, se certam pecuniæ summam accepisse, quam revera non accepit. Scriptura* diximus hanc obligationem contrahi, quia & forma & radicalis materia est, ex qua obligatio emanat, licet pecunia non sit numerata, quæ & cautio aliquando nominatur, quia creditori datur, in hoc, ut illi cautum & prospectum sit, fide hujus scripturæ adversus fraudulentam inficiationem debitoris, Sed & *contractum* esse, assertum ivimus, *olim scriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur*; Hæc sunt ipsa verba Justiniani, *Inst. h. t.* huic jam obligationi & hanc surrogavit, hisce verbis, *si quis debere se scripserit.* Surrogatum enim sapit naturam surrogati, *arg. l. 2. §. 1. ff. de pœn.* (2°) Absurdum est, creditori nullam, ad id quod credidit repetendum, concedere actionem, quam nam er-

 go

go illi concedemus, videamus. Necesse enim est ut qui obligetur, aut re obligetur, aut verbis seu stipulatione, aut consensu solo, aut si nihil horum est, ut litteris obligetur, quoniam non sint plures causæ, ex quibus obligatio ex contractu nascatur *l. 1. juncta l. 2. ff. de O. & A. §. 1. Inst. eod.* in qua litterarum obligatio aliis epistolis opponitur.

Re enim hic noster debitor non obligatur cum fingamus, pecuniam revera numeratam non esse; Neque verbis seu stipulatione, quia & hunc proponimus, qui simpliciter confessus est se debere, citra stipulationem *dict. tit. Inst.* Denique si neque ex his duobus, multo minus consensu solo, cum non obligetur, nisi dicat pecuniam sibi esse numeratam, oportet ergo ut ex litteris obligetur, & ex illis condictio nascatur, ut etiam loquitur Imperator in *Instit. hoc tit.* aut nullam habebit actionem, quod absurdum diximus esse.

CAPUT V.

Cognita definitione, probatoque contractu, videamus igitur quænam ipsius sit forma essentialis, & in quo consistat. Formam hic contractus à scriptura accipit, cum litteræ forma & radicalis materia, ex qua obligatio emanat dicantur, licet pecunia numerata non sit, & ad essentiam seu formam essentialem, hujus contractus, scripturam necessariam esse, exinde patet, quod post Biennium non amplius quæratur, an pecunia confessa numerata sit, nec ne, sed Scriptura authoritate juris, pro veritate habetur, *d. pr. Inst. h. t. l. 8. C. de non num. pec.* sicut res judicata, & jusjurandum *l. 55. ff. de re jud.* & adeo quidem, ut non tantum probet, sed & consitentem obliget. Ex quibus dictis concludi potest, scripturam hanc differre ab instrumentis; licet enim uterque fidem facere videatur, & in hoc conveniant, attamen discrepant in aliis, nam chirographum non tantum probat aliquem debere sed & ipsum obligat *§. unic. Inst. de lit. obl.* inprimis cum post Biennium non amplius quæramus an pecunia sit numerata nec ne, *dict. §. unic. I. h. t. & leg. 8. C. eod.* è contra instrumentum fidem quidem facit, ut autem plena probet fide authenticum ut sit oportet sed obligari nullibi reperisse me confitior *vid.*

l. 1.

l. 1. *C. de fide instrum. l.* 2. *& 4. ff. eod.* fiunt enim ſcripturæ, ut quod actum eſt per eos facilius probari poſſit, *dict. l.* 4. Hinc falſum eſt, contractum hunc eſſe ſpeciem mutui, ſeu præſumptum mutuum. Præſumptum enim mutuum, (1°) quaſi contractibus annumeratur. *§.* 1. *Inſt. quib. mod. re contr. oblig.* (2°) In mutuo neceſſario requiritur rei traditio quod in hoc noſtro contractu expreſſe contra verba Imperatoris *de pecunia minime numerata* aſſerere abſurdum eſſet. (3°) Præſumprum mutuum dicunt, poteſt conſiſtere ſine ſcriptura, teſtibus adhibitis, cum ſcriptura adhibeatur tantum melioris probationis gratia, *ex §.* 2. *Inſt. de except. junct. l.* 9. *ff. de pign. & hypoth.* hic noſter autem contractus non poteſt conſiſtere ſine ſcriptura, *d. d. text.* (4°) Ex præſumpto mutuo oritur condictio certi ex mutuo, *l.* 5. *quib. non objic. long. temp. præſc.* ſic hoc contractu condictio certi ex Scriptura, *in med. §. un. Inſt. h. t.* (5°) Quia olim non ex præſumpto mutuo, ſed ex ſtipulatione hæc obligatio oriebatur, ergo hodie etiam ex litteris, non ex præſumpto mutuo, *§.* 2. *Inſt. de except.* (6°) Quia Imperator noſter, non tantum hoc conceptis & expreſſis verbis aſſerit, *in dict. §. unic.* ſed & expreſſe, *in §. ult. Inſt. de oblig.* dicit eſſe quatuor ſpecies contractuum, id quod & antiqui JCti ante ipſum, in Digeſtis a ſmiſerunt, *l.* 2. *ff. de O. & A.* hiſce jam ſuperaddo, obligationem hanc noſtram, duobus temporibus poſſe conſiderari, ante Biennium (tempus quo exceptio non numeratæ pecuniæ, ut intra dicturi ſumus competit) & poſt biennium; Ante biennium ſi conſideretur, omnes nobiſcum aſſertum ibunt, quod actor jure ſummo probata ſcriptura vinceret, niſi hæc ratio Imperatorem in contrarium duxiſſet, nempe; cum videret varios pecunia egentes homines, nihil non facere, ut quandam ſummam aſſequerentur, & ſpe illam aſſequendi, chirographum, in quo confitentur ſe modo accepiſſe, quod tantum ſperant ſe accepturos, ſcribere; cum propter tales confeſſiones, ſæpe illicitæ fiebant extorſiones, & debitorum nulla haberetur ratio, in hoc contractu, propter frequentiam talium confeſſionum, introduxit, ſcripturam per biennium hoc numerationem non probare, ſed creditori incumbere probationem numerationem eſſe factam, *Inſt. hic & l.* 19. *C. de non num. pec.* hoc autem ante biennium, poſt biennium vero, tum ſcriptura authoritate legis, ita efficax eſt, ut auctor probata ſcriptura vincat, & fundamentum tutiſſime in eo collocet, ut

Justinianus *in pr. Inst. hic* hisce verbis *dum quæri non potest* (hoc est elapso biennio) *scriptura reum obligari, & ex ea condictionem eum effectu nasci.*

CAPUT. VI.

Pertractata quoad institutum nostrum, litteralis obligationis materia, videamus quid illi opponantur. Opponitur *Exceptio non numeratæ pecuniæ*, circa quam varie D. D. sunt opiniones, an nempe post biennium opponi possit, si debitor onus probandi, in se recipiat? Nos vero hisce moti rationibus, stamus à parte negantium. Et (1°) quidem si admitteremus probationem contra cautionem, post biennium obligatio tum non oriretur ex ipsis litteris, sed scriptura saltem fidem faceret & præsumptionem præberet, quæ sicut alias regulariter contraria probatione posset elidi, §. 11. *Inst. de inut. stip.*, & non obligaret scriptorem ita ut actio exinde oriri posset, quod præcedentibus capitibus superque indicavimus, sed obligatio tota ex præsumpto quodam mutuo esset, & ita Justinianus frustra hanc nostram litterarum obligationem, ab ea quæ ex mutuo descendit sejunxisset, *§. ult. Inst de obl.* cui ut adsentiar, à me imperrare haud possum. (2°) Hæc non numeratæ pecuniæ exceptio, cum utriusque tam debitoris quam creditoris causa introducta sit §. *unic. J. hic* post biennium opponi neutiquam potest, quia si opponeretur creditoris ratio nulla haberetur, & intentioni Justiniani expresse pugnaret, cum utroque hac sua constitutione subvenire, in animum induxerat, quod patet tum respectu debitoris, cum ante biennium, onus probandi in creditorem transtulerit, tum ratione creditoris, ne diutius pecunia sua defraudaretur, *pr. Inst. hic* alias creditor & ante biennium, probationis onere gravatus esset, & postea diuturna probatione debitoris molestaretur. (3°) Quia post biennium, ne quidem jus jurandum in judicio, creditori à debitore, qui quæstus non est, deferri potest, *l.* 14. *§.* 3. (*de non num. pec.* quod tamen facilius deberet admitti, quam prolixæ illæ & contra invitum susceptotæ probationes, ratio; quia sic agentes, rem uno verbo transigere possent, actor testis & judex in propriâ causâ constitueretur, cum recusatio juris

ju-

jurandi judicialis, adversus recusantem, qui justam recusandi causam non habet, pro manifesta confessione & probatione habeatur *l. 38. ff. de jur. jurand.* (4°) Quia adversus præscriptionem legitime completam, contraria probatio locum non habet, *l. ult. C. de præsc. long. temp.* & post biennium ex parte actoris, præscriptionem temporalem completam esse, patet ex *§. un. Inst. hic* & D. D. Text. (5°) Præcipue commoveor exemplo cautionis, quæ post statutum tempus condici non potest *l. ult. C. de condict. ex leg.* (6°) Denique hæc verba, *sin autem quæstus est exceptio non numeratæ pecuniæ, heredi & adversus heredem ejus perpetuo competit, legis 8. C. de non num. pec.* clarissime nostram forent opinionem, quia si tum exceptio tantum perpetuatur, cum ante biennium debitor quæstus sit, necessario intra biennium coarctabitur, si non quæstus sit, quod per sequentia ejusdem legis verba, *OMNIMODO heres ejus etiam si pupillus sit debitum solvere compellitur & l. 14. pr. C. eod. SOLUM BIENNIUM & NULLO MODO querela non numeratæ pecuniæ introduci possit* adjuvatur. Confer. *Vinnium in select. Quest. lib. 1. Q. 41.* ubi in fine dicit contrariam, Gl. Barthol & aliorum opinionem esse receptam, item in Gallia Provinciis Belgicis plerisque non meliorem esse conditionem cautionis pecuniæ creditæ quam cæterarum cautionum Vid. *Christin. ubi ut. Gudelm. d. c. 6. in fine. Cyprian. censu Belg. ad hunc tit. Imbert. Inst. for. c. 35. Groenew. de ll. abrog. ad tit. C. de non num. pec.* & ibidem citatatos. Hæc & plurimæ adhuc aliæ rationes quas adducere possemus, nos commoverunt ad hanc amplectendam opinionem, plura enim cum hæc capita contineant, quam intra horæ spatium quispiam oppugnare posset, contrariorum opiniones refutando, hancce materiam extendere non est animus.

COROLLARIA.

I.

Jus accrescendi obtinet inter omnes conjunctos & sic etiam inter verbis tantum.

II.

Non autem pertinet ad emptorem hereditatis.

III.

Mulier Senatus consulto Vellejano etiam extra judicium renunciare potest.

IV.

Contractus Arrharius non datur.

V.

Stipulatio sine causa effectum non habet.

VI.

Si causa debendi in instrumento non est expressa datur conditio certi.

FINIS.

EPIGRAMMA.

In honorem eruditiſſimi & præſtantiſſimi Domini *Candidati.*

JOANNI JACOBI van SCHLECHT.

Eſt aliquid celeri, plus, certo tendere paſſu
Ad metam; certum celſa trophæa manent.
Sic abit *Hippomenes Atalantæ* Victor, ut illam
Detulerint alæ, fulmineive pedes.
Cum ſimul aſt greſſu celeri certoque ſecutus
Sis metam, SCHLECHTI, vincis utrumque ſimul.

C. LANGENHERT.

Aen den ſelven.

Wat flickert hier voor 't oog? Wat ruyſcht hier door ons ooren?
Stijght hier de eer galm niet van SCHLECHT naer't *Capitool,*
Een ſchand're voeſter-kint van 't *Leytſche Hooge School,*
Geacht, ge-eert, geviert, tot *Advocaet* verkooren,

Hier blinckt de Middag-Zon van 't loffelijk verſtant:
In een geſlepen geeſt vol van Wet kundigheden.
Daer 't recht, met recht ſoeckt recht geen onrecht wort geleden.
Op ſulcke ſtijlen ruſt den welſtant van het Landt,

Dat ſwanger gaet van twiſt, en nijdige krakeelen:
Dat dickwils veel onruſt, en droeve rampen baert,
Hier treed een radde tongh voor 't ſcherp-gewette ſwaert.
En weet de droeve breuck door 't recht, met recht te heelen,

Hier

Hier siet men 't spiegel-glas dat vuyl, en schoon, vertoont.
Hier wast de schoone handt de vuyl-bemorste handen.
En sluyt 't onredelijck, met redelijcke banden,
Geluckig is het volck die onder Recht'ren woont,

Wie hert, en oog vergraeght dees blad're moet door blad'ren.
Hier is by-een-geknoopt veel twisten, en dispuyt,
Wie oordeelt met verstant die vint het recht hier uyt:
Een recht, dat oordeel spreeckt, na 't recht der wijse-vad'ren,

Daer t'een, door kragt van reën, het ander maeckt verstomt:
Dat recht en billick is van ongekreuckte Zielen,
D'onnooselen herstelt tot schrick der snoode fielen:
Soo wijstmen recht, wie 't recht gerechtelijck toe-komt.

Dees saam-gegaerde stof doet SCHLECHT nu zegen-pralen:
Met d'eer kroon op sijn kruyn, verschaft nu lauwer blaen.
Sijn schand're geest verbeelt, nu recht, *Papiniaen.*
Wijl d'echo van sijn stem klinckt door Vrouw *Themis* zalen,

Wie kent sich niet verplicht u nader toe-te-treen:
Met heylb're zegen-wensch de dagen van u leven,
Dat u breyn-rijcke vat door 't spraeck-lit raet wil geven,
Tot roem, en eer van u, voordeelig voor 't Gemeen.

Volhardt dan, waerde Heer, in dese groote saecken:
Spreeckt staeg volmondig uyt waer in het recht bestaet,
't Geen recht en billick is, der Burg'ren, nut, en baet,
Op dat elck u verstant mach met een na-smaeck smaecken.

Strijdt met een reden-strijdt, waer door gy lof be-erft,
Een rechte Campioen geen recht-twist komt te vreesen,
Wie sich een Man verthoont voor Weduwen, en Weesen,
Sijn lof in 't leven blijft schoon dat sijn lichaem sterft.

A. LAMPSINS.

Omnia vincit sapientia.